Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25873
Copyright: Admont, Benediktinerstift

588.

predicationem principes ecclesie, martires et confessores, et diversi continentium ordines in populo gentium certas sedes habent. Adolescens autem cum Paulus os apostoli et spiritum salutis attrahit. Verbum mihi ad te o princeps, quisquis tu ille es qui per [illegible] dei gratiam et alios docere potes. Seu dicit: cum ordo doctorum Pauli consilium requirit. Adolescens quippe ex omnibus nobis sive sapientibus sive insipientibus, sive actioni instantibus sive contemplationi vacantibus. Adolescens dicitur cum Paulus per spiritum sanctum ordinem doctorum instituit. Ad te inquit o princeps, quia sapientiam loquimur inter perfectos. Seu surgit cum ordo doctorum ad active vite perfectionem se primitus erigit. Cubiculum ingreditur dum ad contemplationis dulcedinem progreditur. Ille oleum super caput eius fundit. e v a

PAULUS gratia spiritus sancti per sue predicationis doctrinam cuilibet fidelis doctoris intelligentiam perungit. Adolescens autem dum Paulus doctori predicationis mysterium describit. Hec dicit dominus deus israhel qui per te visitavit et fecit redemptionem plebis sue. Unxi te regem, quia per spiritualium carismatum infusionem feci te ecclesie mee esse principem. Super populum domini israhel, super eos qui divine iugiter intendentes visioni volunt esse populus domini, quia continentie proposito dediti querunt placere creatori. Domum domini tui achab percuties, quia gladio spiritus quod est verbum dei spiritum superbie configes. Achab n frater patris dicitur: per quem recte superbia que se creatori in celo equare voluit exprimitur. Ut ulciscar sanguinem servorum meorum prophetarum et sanguinem omnium servorum domini de manu iezabel. Sensus interiores futura meditantes sunt quasi prophete ventura denun[illegible]tiantes. Sunt servi spiritus sancti mundi[illegible]cia cordis sui servientes spiritus sanctificationi. Quorum sanguinem deus de manu iezabel ulciscetur per quam carnalitas intelligitur, cum peccata cogitationum districtio compunctionis per gratiam sancti spiritus insequitur. Omnis servi dum exteriores sensus efficiuntur cum spiritui tanquam domino carnis subiciuntur. Quorum sanguinem dominus de manu iezabel ulciscetur, cum delicta verborum et operum in carnalitate districtio penitentie et continentie insequitur. Omnem domum achab perdam, cum omnem plem superbie in spiritu humilitatis disperdam. Interficiam de achab mingentem ad parietem, cum gladio spiritus mei quod est verbum dei configam superbie suggestionem extendentem se ad mortalitatis corruptionem. Paries enim corruptio mortalitatis intelligitur, de qua in canticis dicitur: En ipse stat post parietem nostrum. Clausum interficiam, cum delectationem in corde latentem gladio spiritus configam. Novissimum in israhel interficiam, cum consensum et consumationem peccati restinguam. Dabo domum achab sicut domum ieroboam filii nabath, et sicut domum baasa filii ahia. Domus achab est superbia spiritus, domus ieroboam est corruptio anime, domus baasa est prevaricatio carnis. Que omnia gladio verbi dei exterminantur, cum per linguam doctoris peccata anime et carnis insuerberant. Iezabel quoque comedent canes in agro iezrahel, nec erit qui sepeliat eam. Iezabel canes in agro iezrahel comedunt, dum predicatores sancti in exercitio verbi dei armis et sagittis sue predicationis quasi dentibus carnalitatem discerpunt. Unde psalmista dicit: filii hominum dentes eorum arma et sagitte. Non est qui eam sepeliat, dum in spiritu anima et corpore non est quod carnalitatem foveat. Adolescens ostium aperit, quia Paulus sua doctrina cunctis doctoribus viam predicationis facit. De quo ostio ipse dicit: Ostium magnum mihi apertum est in domino. Adolescens fugit, cum PAULUS in latitudinem gentium transit. SEQUITUR

IEU autem egressus est ad servos domini sui. Qui dixerunt ei: Rectene sunt omnia? Quid venit insanus iste ad te? Qui ait eis: Nostis hominem et quid locutus sit. At illi responderunt: Falsum est, sed magis narra nobis. Qui ait eis: Hec et hec locutus est mihi, et ait: Hec dicit dominus: Unxi te regem super israhel. Festinaverunt itaque, et unusquisque tollens pallium suum po